



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Ex diffidentia in Deum, fames fit malesuada.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tes, eumq; assidue orantes? si fame defecerimus in eremo, nos Dominum accusemus, & improperemus ei, cum ad ipsum venerimus, dicentes: *Credidimus Euangelio tuo, ubi dixisti: quod uniuersos in te credentes, cæli pabulo pasces: fecimus cuncta quæ præcepisti, sperauimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti, hic magis, ut probes veritatem, redde, quod promisisti. Nolite ergo murmurare aduersus Deum, ne murmurantes, sicut Patres nostri in deserto, à serpentibus pereatis. Quod si expectaueritis Dominum, quando voluerit, dabit bona timentibus se. Quo dicto siluerunt paululum à murmuratione sua: erant tamen in mærore positi. Huc vsque Frontonius, apud dictum authorem.*

V I.

Nondum tamen hic finis historiæ: sed interponendum est aliquid prius, quàm illam totam percenseam. Cur enim in mærore positi isti, Abbas autem, plenus spe & fiducia, in gaudio fuit? Nimirum illi Deum quidem crediderunt ubique præsentem, sed de Dei Bonitate non satis bene senserunt, sed fiducia Dei caruerunt; Abbas autem, cum sciret tam bonum Mundi Governatorem, tam potentem Conseruatorem, tam pium Patrem, filijs suis ubique adesse, persuasissimum habuit, immò, ut certum fidei articulum tenuit, neminem sibi, absque eius voluntate, nocere, nihil necessariarum rerum deesse posse. Nam *qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Et si, eo volente, cibus aliquando deficit, *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Sic S. Catharina Senensis, *aliquando à die cinerum, vsq; ad Ascensionem Domini, sine cibo, perdurauit, sola Eucharistia communionem contenta.* Quod & in Nicolao, apud Helucios, per multos annos, videre fuit. Potest etiam fieri, ut Deus aliquos fame sinat extremè affligi. Quod si fiat, utique de manu id Domini est accipiendum, qui potestatem habet vitæ necisque nostræ. Frontonius sciebat Bonitatem diuinam esse tantam, ut de ea nulli sit diffidendum. Quod vtinam scirent omnes; non tam multi malis se artibus alerent, non furtis digitos; non rapinis manus contaminarent; non fraudibus, non mendacijs, non periurijs pecuniam facerent; non se turpi quæstu alerent; non venderent pudicitiam; non interuerterent testamenta; non spoliarent in siluis & crumena, & vita viatores; non traderent Iudæis, conuulnerandam, non ipsi cacodæmoni porrigerent contumelijs sædandam SS. Eucharistiam: non tantopere laborarent,

Psal. 90. 1.

Matth. 4.

Ludouicus
Blou. in. Ap-
pendice Mo-
nilis spirit.

rent, in impetrandis schedulis & facultate carnibus vescendi, tempore quadragesimæ; quippe alimentum à Deo sperarent, putarentque, cum tribus illis sanctis pueris, ipsa se abstinentia fore fortiores pinguiorésque. Nouit ille dare necessaria, nouit vires confirmare suorum: qui diuitibus, & cuticulæ causâ, nimis sollicitis, delicatèque ventrem implentibus, longè plures morbos immittit. Semper enim laborant catarrhis; semper de capite, aut dente queruntur; semper cordolium, calculum, stomachi cruditates, podagras & chiragras accusant, cū seipfos accusare deberent; sua sibi intemperantia talia accersentes; semper poscunt sumuntque medicinas; vt multi plus accipiant à pharmacopola, quam è culina. Hæc iusto Dei Iudicio, vtrisque contingunt; vt & appareat, *non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, dum mucido pane victitantes valetudine sunt meliore, & prudentia carnis, velut Tantalus in vndis, ipsa abundantia sua puniatur.

Vt ergo homines in exemplo doceret, diffidentésque fratres emendaret, & pariter Frontonij fidem etiam in nos diffunderet Numen, illo ipso tempore, quo de victu nimium quantum solliciti erant, Angelum de cælo misit ad copiosum quendam hominem, quadridui itinere à Monachis distantem, ad obsonandum. Intèpesta nocte, diues lecto suo accubans dormiènsq; nihil minùs, quàm de liberalitate somniabat. Aurum plenis manibus comprehendere, Philippæos asperos sibi videbatur numerare, & Iouialibus cœnis interessè. Hunc Angelus, alia repentè oblata imagine, ita compellauit: Nempe tu ille splendidus es epulo, qui ventrem saburra imples, & plus solus degulas, quàm alij decem; semper satiatus, nunquam famelicus; amphora, gurges, helluo, & vnus de genere Apiciorum; solùmque natus, vt fruges absumas: at serui mei, in dura solitudine, in labore aspero, neque panem habent, quo sustentur? Ad quid tibi diuitias dedit diuina liberalitas? nisi vt possis esse liberalis? An, vt te cibus occideres? vel, vt pauperes illius in vita seruares? Expergiscere, miser. & ni malum vis, audi, quid mandet Deus: Quàm primùm diluculabit, seruis illius, ex omnibus, quæ tibi data sunt, sportulam trans mitte. Neque graue hoc tibi videatur. Magnum beneficium præstat vniuersi Dominus, si quem gregis sui facit procuratorem. Doni loco ab eo accipit, quæ ipse donauit. Qui ergo te semper pauit, vult nunc à te ipse pasci. Nam placuit illi, ex elec-

VII.